



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 14. Amicitia cum Deo, & Christo. Ex Vet. Ex Novo. Ex Patribus, & alijs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Non potest convenire in lege amicitiae Christianae, qui solum congregare didicit, distribuere vero non novit. Hanc sanè novimus habere amicitiam gratiam; ut, non tribuere, credat esse jacturam. Sim. Cass. de Just. Chr. l. 15. cap. 17.

Si Deus est finis omnium, homo amicus justè relinquatur propter Deum. Et omnis vera copulanda est amicitia propter ipsum; homo verò finis hominis esse non potest. Non perditur amicus: si placitus remaneat Deus. Et si ex hoc turbatus recedit, non fuit verus amicus: quia se Deo voluit praeferrere; cui debuit in omnibus subjacere. Sim. Cass. ibidem.

## §. XIII.

## Amicorum ferenda jactura, injuria. &amp;c.

*Cor meum consurbarum est amici mei, & proximi mei, adversum me appropinquaverunt.* Pl. 37. 11, 12. Job in omnibus arumnis tacens, ad amicorum calumnias solvit silentium. c. 19. 2. *Usquequò affligis animam meam?* Sylveira in Joan. 13. q. 4.

*Ave Rabbi: & oscularus est eum.* Matth. 26. 49. Modò planè licet tibi, Christe, confidere in hominibus. Noli pavere: oscula habes, ubi vincula metuebas. Sed proh miseriarum cumulum! proditio latet in osculo: Christi predicator, persecutor est Christi: elongandus est amicus; quem proximum vides labiis verbis imminere. Oliva t. 2. Strom. §. Pater! in manus tuas.

## §. XIV.

## Amicitia cum Deo, &amp; Christo.

## Ex Veteri.

*Sufficit mihi, si adhuc Joseph filius meus vivit.* Gen. 45. 28. Jacob cum audisset, filium suum Joseph in Aegypto regnare, dixit *Sufficit &c.* In hac ergo domo, ubi non terrena, sed vita JESU, qui in Joseph figurabatur, queritur; & ipsa sufficit nobis: licet amici omnes mortales sint; dum JESUS auxiliator noster sit; ibi regnare dicitur Christus. Guericus serm. 1. de resurr. o. vocem fidelem, & plene dignam amicis JESU! o castissimum affectum; qui sic loquitur: *sufficit mihi, si JESUS vivit.* Si vivit, vivo: cum de ipso pendat anima mea; imò ipse sit vita mea; ipse sufficientia mea. Sylveira in Luc. 1.

*Elegit nobis hereditatem suam.* Psal. 46. 5. Hereditatem suam vocat gentem: non quòd aliquando gentium nullam curam gesserit; sed vehementem in eos dilectionem, & cum eis conjunctionem, & providentiae accessionem, ostendens. S. Chrysof. hic.

*Ecce tu pulchra es amica mea.* Cant. 1. 14. Haec est Ecclesiae, atque animarum omnium, pulchritudo; ut amica sit Christi: ex illa enim amicitia perfecta pulchritudo progreditur. Proinde non est pulchra, nisi amica. Sim. Cass. l. 3. in Luc. 1.

*Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. 16. q. d. Dilecti mei amicitiam constanter teneo; quia ejus constantem benevolentiam erga me sentio. S. Gregorius hic.

*Quis dicit Deum, aequè habebit amicitiam bonam: quoniam secundum illum erit amicus illius.* Eccl. 6. 17. Sensus est: qui Deum pie colit, amicum fidelem, & bonum, habebit. Illud aequè significat: quantum fidelis erit Deo; tantum etiam permittet Deus, ut ei fidelis sit amicus. Seu qualis ipse est erga Deum, & proximum; talis erit & amicus ejus: hoc est, fidelis, & sincerus, erit illi; sicut fidelis, & sincerus est ipse cum Deo, & proximo. Octavianus hic.

*Ex quibus Daniel unus erat.* Dan. 6. 2. Regnante Nabuchodonosor Daniel splendet, & à maximè horribili, rege adoratus est. Balthasar item regnante floruit: nec minus illustri fuit Dario regna tenente: regumque successores nihil de ejus gloria immutarunt; sed illi morte extincti sunt. At Daniel aequalem illis omnibus regnantibus splendorem obtinuit. Theodoretus hic. q. d. Quis crederet? amicum regis cum rege non perire? prodigiosum id videtur. Convenite huc, qui regum amicitias ambitis; qui stabilem statum in regis favoribus amatis. Unus est, qui volubilem fortunae rotam stare facit clavus; nimirum quò inulti Dei servitute profiteamini. Dum Deo, & virtuti, inimitur, regum successiones nihil de nostra gloria immutabunt; firmi stabimus mediis humanis viribus; mediò, rapidissimòque gurgite, quò volvuntur omnia creata. Baeza t. 1. l. 1. cap. 9. §. 12.

## Ex Novo.

*Qua est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Matth. 12. 48. Una sola, & vera, & communis, nobilitas, atque necessitudo cum Christo est; ut voluntatem Dei facias. Multò propinquiores Deo sunt, qui voluntatem ejus faciunt; quam qui summam carnis necessitudine conjunguntur. S. Chrysof. hom. 45. in c. 12. Matth.

*Fuit in diebus Herodis regis &c.* Luc. 1. 5. Nullum verbum in Scriptura sine mysterio. Lucas ergo à verbo praeteriti temporis incipit *fuit*; Joannes verò incipit per verbum *erat* imperfecti temporis. Cum Joannes à divinis incipiat, utitur verbo *erat*, ad significandam divinarum Personarum aeternitatem: Lucas autem ab humanis ordiens, per verbum *fuit* incipit; propter earum transitionem, & mutabilitatem. *Ipsi peribunt; tu autem permanes.* Pl. 101. 27. Quò docemur, ut in amicitiam Dei nos conferamus, utpote quae firma, & stabilis, erit: non verò in homines, in Mundum, in creaturas; quae deficiunt. Nomen Deo peculiare est subsistentiae: *ego sum, qui sum.* Ex. 3. 14. Juxta Hebr. *ero, qui ero.* *Qui erit, misit me.* Ex. 3. De hominibus Abdias v. 16. *bibent omnes gentes, & absorbebunt; & erunt quasi non sint.* Stella in Luc. 1.

*Quis vestrum habebit amicum? &c.*

Luc. 11. 5. 7. Amicus, cujus ostium pulsatur, est Dominus, & Deus, & Servator noster Christus JESUS; qui omnes diligit; omniumque, etiam eorum, qui in ipsum necdum credunt, salutem fuit. S. Titus Bostrensis hic. Amicus hic est Deus; qui nos dilexit, & unigenitum suum pro nobis tradidit. Ab hoc mediâ nocte panem petimus, dum in tribulatione ejus auxilium quarimus. S. Honorius Augustodun. serm. in dieb. Rogat. O quam pulsanti iste sensit occurrere, qui sic secreti sui cubile collocavit ad januam: qui, dormientibus servulis pulsantis necessitatem solus, & primus, audivit. S. Chrysol. serm. 39. Nota: in eodem cubili cum domino servi dormiunt; quibus incumbebat attendere, quisnam pulsaret ad januam, ne domini quies inturbaretur. Et tamen servi dormiunt, solus dominus vigilat; cum homo petens panes pulsât. Pro certo habe: quod cum necessitate laboraveris, omnes in tui subsidium dormiunt: solus Dominus vigilat, ut opem ferat. Sylveira c. 20. in Luc. 11.

*Lazarus amicus noster dormit.* Joan. 11. 11. Gloriam hominis miror, cum audio illum amicum Dei vocari. Certè servi appellatio vulgaris cum sit, crevit adeo, si DEI addatur particula; ut mirum in modum præstantissimos viros exornet: Dei est servus. O elogium ineffabile! quid si amicus Dei valeat appellari. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 10. Sect. 1. obs. 2.

*Ex Patribus, & aliis.*

**Q**ui fuerit Dei amicus, diaboli est inimicus. S. Fulgentius serm. de Job.

Nos pro nobis ipsis vix paucos contemnimus auctores; ipse autem pro nobis etiam Filium suum tradidit. Utamur igitur ad commodum nostrum charitate Dei, fruamur ejus amicitia. Vos enim, inquit, amici mei estis; si feceritis, quæ dico vobis. O inenarrabilis misericordia! inimicos, & infinito intervallò ab eo distantes, à quibus incomparabili eminentiâ ab omnibus differebat; hos amicos & facit, & vocat amicos. Quid igitur pati non debemus? quid non libenter tolerare pro hac amicitia? S. Chrysol. hom. 23. in ep. ad Hebr.

Renuntiat amicitia Christi, qui se amicitia conjunxerit diaboli. Idem serm. in illud: inimicitias ponam &c. Gen. 3.

Non tantum tempore pacis congaudeas Crucifixo; verum etiam tempore persecutionis eandem retine fides. Nemo se fallat, nemo se decipiat: Dominus, & Diabolus, ab uno pariter amari non possunt: aut enim diabolus oditur, ut Dominus diligatur; aut, si diligitur diabolus, necesse est contemnatur Dominus. Non potestis duobus dominis servire. Luc. 16. S. Chrysol. serm. sup. illud: inimicitias ponam &c. Gen. 3.

Ne sis tantum pacis tempore JESU amicus, & tempore belli inimicus. S. Cyrillus Jerol. Catech. 13. Proh admirabilem hominum

fidelium gloriam! Deum Patrem habemus, matrem ipsam Dei genitricem, fratrem primogenitum Christum JESUM, DEUM, & hominem. O dulcem JESUM! nostri verum amicum; qui sua nobis fecit omnia communia; & Patrem scilicet, & Matrem; ut fratrem ipsum veneremur, & amemus. V. Beda hom. 1. in Luc.

Adverte, quis in amicum eligi dignior debeat; creatura, an creator? Dominus, an servus? princeps, an vasallus? omnipotens, an infirmus? immensus, an modicus? omniscius, an stolidus? dives, an egenus? & postremo, ut multa transeam, summè bonus, & beatus; an miser, & malus? S. Thom. Aqu. opusc. 16. c. 14. Solus Christus verus amicus est, qui omni tempore diligit. Hugo Card. in Prov. 19.

Non invenietis fideliores amicos, & potentiores in celo, & in terra; quam JESUM Regem angelorum; & Mariam Dominam nostram, Reginam angelorum. Thomas Kemp. p. 3. serm. ad Novitios serm. 2.

Vide, quomodo ab omnibus neglectus sum; quomodo ab omnibus expulsi: vide, quia nemo me in sua dilectione habere desiderat. Delectatio hominum est irrationabilis quasi animalium. Inquire diligenter; & invenies valde paucos amicos meos. In Revelationibus extravagantibus S. Brigittæ c. 51.

Amicorum hujus sæculi amor valde est imperfectus: serò amare incipiunt, citò desinunt, parum amant. At Christus Dominus, etiam ut homo, perfecte suos dilexit Discipulos, & Electos. Citò incepit, qui ab instanti Conceptionis suæ intensissimè suos dilexit, nunquam desit, neque desinet: nam nec morte amor ille finem habuit. Toletus in illud Joan. 13. 1. in finem aili xii.

*Varia de amicis.*

*Vocavi amicos; & ipsi deceperunt me.* Thren. 1. 19. Homo habet tres amicos: primus Caro; decipit, ducens ad suspendium sibi consentientes. Secundus Mundus; qui parat laqueum: qui volunt dretes fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. 1. Timoth. 6. 9. Tertius diabolus; qui suspendit sibi consentientem. S. Bonaventura hic.

*Quis vestrum habebit amicum? Luc. 11. 5.* amicum venientem ad me non alium intelligo, quam me ipsum: nemo quippè charior mihi, nemo germanior, est. Ad me ergo venit de via amicus, cum transitoria deserens ad me redeo &c. S. Bernardus in Rogat. de panibus. Fortassis & nobis aliquando venit amicus de via, id est, de vita hujus sæculi. Nunquid deserendus est? nunquid de domo proficiendus est? Panem bene intelligimus in his tribus charitatem. S. August. serm. 29. de verb. Dom.

Si amas, scribe obsecranti; si irasceris, iratus licet scribe. Magnum & hoc desiderii solamen habeo; si amici literas vel indignantis accipiam. S. Hieron. ep. 42. ad Niceam.

TITULUS